

## DISPUTATIO II.

### DE INVISIBILITATE ET VISIBILITATE DEI.

#### CAPUT I.

#### DE INVISIBILITATE DEI.

#### ARTICULUS I.

#### AN DEUS POSSIT INTUITIVE VIDERI OCVLIS CORPOREIS ?

83. *Nota.* Dogma Gentilium et Anthropomorphitarum vel apertum vel ex eorum doctrina necessario profluens erat, Deum *oculis carnis* videri posse. Eundem errorem Christianis universis exprobraverunt olim Gentiles, quam calumniam ORIGEN. L. 7. cont. Cels. n. 33. et seqq. depulit. Inter *Arianos* tamen fuerunt plures, qui solum Patrem Divinum assererent invisibilem : quin et Catholicorum nonnullos ejusdem erroris sua ætate notarunt IREN. L. 4. c. 37. (al. 20.), et AUG. ep. 6. (al. 92).

84. *Dico.* Deus oculis corporeis nec visus est unquam, nec videri potest. *Prob. I. ex SCRIPTURA.* Exod. 33. 20. Deus quasi generalem legem statuit : *Non videbit me homo, et vivet.* Item universim legitur Joan. 1. 17. : *Deum nemo vidit unquam.* 1. ad Cor. 2. 9. *Oculus hominis non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit diligentibus se.* 1. ad Tim. 6. 15. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et c. 1. v. 18. præmissum erat : *Regi seculorum immortalis et invisibilis.* Circa hæc autem testimonia certum est : 1º. quod naturali et sensu obvio accepta loquantur de *visione corporea*, cum proprie videre pertineat ad oculos corporeos : 2º. quod Paulus ibidem vel mentionem faciat de *oculo corporeo* sicut de aure carnea, vel doceat Deum verum esse diversum a falsis numinibus ac spiritum : 3º. quod de *visione mentali* simpliciter nequeant intelligi exceptiones illæ, cum possibilis sit visio Dei intuitiva per intellectum elevatum.

*Conf.* Quoties Scriptura loquitur de visibilitate Dei, utitur terminis qui mentis actum, non autem oculi corporei indicant : Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 1. Joan. 3. 2. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum siculi est ;* quibus verbis S. AUG. ep. 6. (al. 92. n. 3.) ostendit, oculos cordis et spirituales intelligi, non autem corporeos, secundum quos Deo similes non erimus.

II. ex PATRIBUS. ORIG. L. 7. cont. Cels. n. 34. inquit: *Falso nobis imponit Celsus dicens, nos sperare oculis corporis Deum esse visuros.* ATHAN. disputans contra Arian. a S. AUGUSTINO ep. 111. (al. 148. n. 10.) refertur, *instantissime suasisse, Deum non esse visum nisi assumptione creaturæ: secundum Deitatis autem suæ proprietatem, omnino Deum esse invisibilem..... nisi quantum mente ac spiritu nosci potest.* GREG. NAZ. or. 28. n. 7. *Deus est ejusmodi, ut nec tangi nec oculis cerni queat.* CYRIL. HIEROSOL. Catech. 9. n. 1. *Carnis quidem oculis contemplari Deum, impossibile.* HIER. in c. 6. Isa. v. 1. *Non solum Patris divinitatem, sed ne Filii quidem et Spiritus S., quia una in Trinitate natura est, possunt oculi aspicere.* Cs. ib. c. 64. v. 4. AMBR. Serm. 8. in Psal. 118. n. 17. docet errasse Moysen, quod existimaverit, Deum oculis videri posse.

Conf. 1°. Nulla potentia præsertim vitalis potest ferri extra suum objectum: sed oculus est potentia vitalis, et Deus est extra illius objectum; ergo oculus non potest ferri in Deum, seu eum videre. 2°. Concipi potest, Deum visibilem fieri ab oculo corporeo: si vel Deus assumendo corpus reddat se spectabilem: vel si oculus immutata natura evadat spiritualis, et sic ad videndum Deum idoneus. Sed in primo casu non habebitur visio intuitiva ac Dei, ut est in se; in secundo autem non jam corporeis, sed spiritualibus oculis videretur Deus; ergo.

85. *Nec dicas* 1°. Multi Patriarcharum et Prophetarum de facto corporeis oculis viderunt intuitive Deum: quod patet de *Abrahamo* Gen. 15., de *Jacobo* Gen. 32., de *Manue* Jud. 13., de *Moyse* Exod. 33., de *Isaia* c. 6.; ergo.

R. N. A. ad prob. D. Patet de illis, quod viderint Deum immediate et in se ipso N. mediate tantum et in alio C. Triplex universim modus est exponendi visiones Patribus Veteris Testamenti factas: *primus* est, cum dicitur ipse Deus, et præsertim Persona Verbi, humanæ incarnationi præludens, apparuisse in forma, quam libere ac pro voluntate assumpsit: *secundus*, cum dicitur per Angelum, qui et ipse in hominis assumpta forma apparuit, esse visus: *tertius*, cum in raptu vel extasi, aut in somno per quamdam similitudinem ac sensibiles species se manifestavit. *Primo* usi sunt frequenter Scriptores antiqui, *aliis* moderni communius; quibus etiam suffragatur Scriptura. Nam et *Abraham* Gen. 18., cum videret tres viros, h. e. Angelos sub forma virorum, unum tanquam Dominum adoravit: et quem *Jacob* dixit Deum, *Oseas*, 12. v. 3. vocat Angelum: et quamvis uxori *Manue* apparuerit tantum Angelus, tamen vir ejus postea dicit, *Moriemur, quia vidimus Dominum.* Denique S. *Stephanus* Act. 7. interpretatur de Angelo vices Dei gerente, quod Scriptura de Deo facie ad faciem colloco cum *Moyse* dixerat. Sicut vero modus exponendi *secundus* pertinet ad visiones Patriarcharum, sic *tertius* convenit prophetiis illustrationibus; certe nisi similitudinem tantum in visione *Isaia* admittere volueris, oportebit Deum ad modum corporis esse extensum, sedere etc.

86. *Nec dicas* 2°. Job. c. 42. ait de Deo: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Prius c. 19. dixerat: *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspiciuntur.* Ergo et vidit et speravit Deum oculis videndum.

Conf. Luc. 3. legitur: *Videbit omnis caro salutare Dei.* 1. ad Cor. 13. asseritur, quod Deum *videbimus facie ad faciem*; ergo Deus oculo corporeo erit visibilis.

R. Quoad 1. D. Cons. Ergo Job vidit Deum visione substantiæ divinæ N. visione effectuum providentiæ divinæ C. Sensus enim est: Equidem de tua, o Deus! providentia audiveram plurima et mirabilia; nunc autem prosperorum et adversorum sorte jactatus, in me ipso eandem experior et propius inspicio. Quoad 2. etiam D. Cons. Speravit Deum videndum oculis mentis C. oculis corporis Subd. Deum secundum naturam assumptam, seu Christum Salvatorem C. Deum secundum naturam propriam N. Utramque distinctionem usurpat S. Aug. de Civ. Dei L. 22. c. 29. n. 4.: *primam*, quia Job dicit in carne, non per carnem visurum se Deum: *secundam*, quia de Redemptore loquitur et de sua resurrectione.

Ad Conf. R. Similiter, quantum attinet ad *primum* textum, qui de Deo incarnato aperte loquitur: quantum ad *secundum* N. Cons. quia *facies* hic et alibi sumitur metaphorice ad visionem Dei intuitivam exprimentam, qua donantur Sancti in patria; non vero proprie, cum alias Deo humana etiam membra tribuenda forent.

87. *Nec dicas* 3°. S. Aug. de Civ. l. c. n. 5. rejicit opinionem Philosophorum, qui negant res spirituales videri posse a corpore; ergo censet posse videri Deum ab oculo corporeo. Conf. S. Doctor ibidem docet Deum oculis corporis beati videndum, et simul opponit hanc visionem Dei cum illa, qua nunc fruimur in hac vita; ergo admittit intuitivam visionem Dei et in se ipso corporeis oculis apud beatos futuram.

R. D. A. Rejicit opinionem hanc secundum momenta et rationem quibus illam propugnabant C. secundum assertionem et sententiam N. Philosophi isti volebant spiritum a corpore cognosci non posse, quia nec spiritus possit percipere corporea sed intelligibilia duntaxat, quod refellit. S. Aug. dicens: *Sed istam ratiocinationem et vera ratio et prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita sit aversus a vero, ut dicere audeat, Deum corporalia ista nescire?* etc. Inde tamen non concedit, oculum corporeum posse attingere spiritum, nisi in hypothesi mutati corporis in spiritum; in qua sic subdit: *Sicut ergo constat videri corporea spiritu: quid si tanta erit potentia spiritualis corporis, ut corpore videatur et spiritus?*

Ad Conf. R. D. 1<sup>am</sup>. p. Docet Deum oculis beati corporis videndum immediate et in seipso seu propria substantia N. mediate et in effectibus, sicut vitam et animam in hominibus videmus C. Etiam D. 2<sup>am</sup>. p. Hanc visionem cum illa, qua nunc fruimur, opponit, quoad aliqua et modum tantum visionis abstractivæ diversum C. quoad omnia et speciem etiam visionis diversam N. Visionem Dei per oculos spirituales etiamnum abstractivam hic admitti, patet ex distinctione priori: diversitas vero inter visionem hujus et alterius vitæ stat in eo, quod præsentis vitæ visio potius excitet fidem de Deo, quam ut eum menti nostræ statim absque medio discursu præsentem sistat, cum alterius vitæ visio per oculos capta ex apprehensio Dei effectibus Deum statim menti objiciat sine intermedio ratiocinio. Ita se ipsum explicat. S. Aug. L. 22. de Civ. c. 29. n. 6. *Non sicut nunc invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur per speculum in ænigmate et ex parte, ubi plus valet*

*fides, qua credimus, quam rerum corporalium species, quam per oculos cernimus corporales : sed sicut homines, inter quos viventes motusque vitales exerentes vivimus, mox ut aspiciamus, non credimus vivere, sed videmus; cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora, remota omni ambiguitate, conspiciamus : ita quacumque spiritualia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur. In quem locum S. THOMAS 1. q. 12. a. 3. ad 2. eundem S. AUG. sensum subjungit.*

Nec dicas 4<sup>o</sup>. Idem ibid. n. 3. statuit, oculos in gloria fore alios et virtutes præpollentioris, non tamen qualis in animalibus acrius videntibus habetur; et hanc etiam vim probabiliter censet Jobo per aliquod instans in hac vita communicatam, dum diceret : *nunc autem oculus meus videt te* : ergo tribuit posse Deum saltem a spiritualibus oculis videri. *Conf.* Nequit dari ratio, cur S. AUG. nihil definire in quæstione de oculis spiritualibus voluerit; ergo.

R. D. A. Statuit hæc absolute et ex sententia propria aut in quam ipse propendat N. hypothetice et ex sententia aliena, quam quidem explicat, quin tamen in eam inclinet C. Res patet ex ipso textu : *Utrum videbunt et per oculos corporis, inde quæstio est. Si enim tantum poterunt in corpore spiritali eo modo utique etiam ipsi oculi spiritalis, quantum possunt isti, quales nunc habemus, procul dubio per eos Deus videri non poterit : longe itaque alterius erunt potentie, si per eos videbitur incorporea illa natura, que non continetur loco, sed ubique est tota.... Vis itaque oculorum illorum præpollentior erit, non ut acrius videant, ... sed ut videant et incorporalia. Simili modo illud de Jobo additum ex textu cognosci potest, quem ita prosequitur : Et fortasse ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in isto mortali corpore oculis sancti viri Job, quando ait ad Deum : In obauditu auris obaudiebam te prius, nunc autem oculus meus videt te etc. Quamvis hic nihil prohibeat, oculum cordis intelligi, de quibus oculis ait Apostolus : illuminatos oculos habete cordis vestri.*

Ad *Conf.* R. N. A. Imprimis definire nihil voluit, tum quod res non pertineret ad quæstionem dogmaticam, sed mere philosophicam : tum quod Catholicorum etiam quorundam hanc esse opinionem intelligebat, quos exacerbare noluerat : tum quod librata infinita Dei potentia non possumus semper dicere in se impossibilia, quæ nobis ardua aut impossibilia etiam videntur. Pleraque alia hic objici solita sunt philosophica.

## ARTICULUS II.

AN DEUS INTUITIVE VIDERI POSSIT AB INTELLECTU CREATO PER SOLAS NATURÆ VIRES ?

88. *Nota.* Cognitio Dei, quæ in hac vita habetur, est vel ex creaturis seu effectibus a Deo creatis, vel ex fide seu divini verbi significatione, et utraque abstractiva, non autem intuitiva seu clara et evidens cognitio Dei, prout est ille in se. Quod visio Dei intuitiva convenire possit homini per singulare auxilium divinum, quod Theologi lumen gloriæ vocant, infra : an vero illa

etiam tribui possit intellectui, sive humano sive angelico, sibi relicto et per solas naturæ creatæ vires operanti, hic quæritur. Affirmarunt id Anomæi sec. 4. de quorum duce Aelio EPIPHANIUS hæres. 76. p. 989. hæc refert : *Hic enim cum suis in eam vanitatis amentiam incidit, ut supra mortales omnes Deum se, non sola fide sed natura, secundum scientiam nosse jactaret : quemadmodum alicubi supra meminimus, dicere illos, non simpliciter fidei aliqua notitia Deum sibi esse perspectum; sed perinde ac quispiam cognoscit, quidquid oculis cernitur, aut manibus attrectatur : velut si in manus assumat aliquis lapidem aut lignum aut materie alterius instrumentum. Eundem errorem sec. 14. instaurarunt Beguardi et Beguinae in Germania inferiore, quorum S<sup>us</sup> doctrinæ articulus is erat : Quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata : et anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum. Quamvis vero ab hoc errore alieni sint Theologi Catholici omnes, sunt tamen inter eos nonnulli, qui saltem possibilem existimant substantiam creatam, quæ vel per se sit tantæ virtutis, quanta est virtus complexi ex intellectu et lumine gloriæ, et cui proinde proportionata et connaturalis sit Dei visio, ita ut ad eam eliciendam non sit necessaria ulterior elevatio; vel quæ licet tantæ virtutis non foret, tantæ tamen perfectionis est, ut illi lumen gloriæ, ac consequenter etiam visio Dei intuitiva, sit debitum et connaturale. Verum his sufficiant dicta num. 8. de repugnancia substantiæ creatæ intrinsece supernaturalis.*

89. *Dico.* Deus de facto intuitive videri nequit ab intellectu creato per solas naturæ vires.

*Prob. I. ex SCRIPTURA.* Hæc enim 1<sup>o</sup>. ut constat ex textibus relatis, negat Deum videri posse : sed hæc testimonia imprimis non minus de intellectuali visione quam corporali exponi possunt, præsertim cum ibidem ad Corinth. addatur : *Nec in cor hominis ascendit* ; et PATRES in eos textus commentantes sæpe de utraque visione loquuntur : deinde vero eadem, ut S. AUG. ep. 112. (al. 147.) c. 14. facit, exponi debent de invisibilitate intellectuali per naturam seu vires naturæ, cum aliunde liqueat supernaturali auxilio adjutum intellectum posse habere visionem Dei ; ergo. 2<sup>o</sup>. Docet intuitivam Dei visionem pertinere ad gratiæ beneficium, Psal. 83. 12. *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Ad Rom. 6. 23. *Gratia Dei vita æterna.* 3<sup>o</sup>. Eadem manifestam Dei cognitionem removet ab hujus vitæ conditione, 1. ad Cor. 9. *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus : cum ergo venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Item : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* 2. ad Cor. 5. 7. *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem.* 1. Joan. 3. 2. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.*

*II. ex TRADITIONE.* In C. Vien., ut etiam refertur in Clementinis Cap. *Ad nostrum.* tit. *de hæret.*, recensito cum reliquis errore Beguardorum supra exposito, Clemens V. ita definit : *Nos, sacro approbante Concilio, sectam ipsam cum præmissis erroribus damnamus et reprobamus omnino.* Ex Patribus, qui Anomæos oppugnarunt, EPIPHAN. hæres. 70. n. 7. *Deum quidem, inquit, videri præsertim ab humana natura non posse fatemur;... Sed idem tamen Deus invisibilis pro sua humanitate ac potentia imbecillem aciem ita*

virtute sua corroborare dignatur, ut quod videri alioqui non potest, aspi-  
ciat. GREG. NAZ. Orat. 28. n. 17. scribit, nihil ad nos pertingere in hac vita  
de Dei notitia, nisi exiguum quemdam rivulum, ac velut parvum magnæ lucis  
radium. Ex reliquis ORIG. L. 1. Periarch. c. 1. n. 6. Mens, ait, nostra ipsum  
per se ipsam Deum, sicut est, non potest intueri. AMBR. comment. in Lucam  
c. 1. n. 26. In potestate nostra non est Deum videre, sed in potestate illius est  
apparere. AUG. L. 19. de Civ. c. 25. Sicut non est a carne, sed super carnem,  
quod carnem facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod  
hominem facit beate vivere.

Conf. Visio Dei intuitiva est supernaturalis, ex Psal. 83, et ad Rom. 6. Est  
finis et merces, ad quem per fidem, spem, charitatem et alia opera saluta-  
ria pertingitur, Joan. 14. 11. Qui diligit me, manifestabo ei me ipsum; et 1.  
ad Cor. 2. 9. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,  
quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. Constat vero ex Tr. de Grat.  
media hæc et merita debere esse supernaturalia, ac inter hæc et finem atque  
mercedem necessario intercedere ordinis proportionem; ergo.

90. Nec dicas 1°. Juxta S. AUG. L. 10. de Civ. c. 22. Solum peccatum  
causa est, cur Deum non videamus; ergo intellectus ex se potest videre  
Deum. 2°. Deus intuitive videndus continetur intra limites intellectus creati,  
sicut gloriosa corpora intra objectum visus; et Deus videndus non attingitur  
nisi modo finito; ergo. 3. Deus etiam intuitive videndus est ultimus noster  
finis; et ad hunc habemus tum appetitum innatum, tum elicito prudentem  
ac ordinatum: sed et ultimum finem nostrum, et quod ejusmodi appe-  
titu desideramus, naturaliter possumus cognoscere; ergo.

R. Ad 1. D. A. Solum peccatum est causa moralis, cur Deum non videamus,  
quatenus peccati poena est cæcitas mentis, qua frequenter impedimur  
a cognitione Dei abstractiva, et quatenus peccati etiam poena est privatio  
gratiæ sanctificantis, cujus opera obtinetur finis supernaturalis C. est causa  
physica, et sine cujus interventu omnia in nobis expedita forent, ad visio-  
nem Dei ex parte potentiæ requisita N. Physica enim causa, cur Deum non  
videamus, est ipsamet impotentia naturalis, ad quam superandam necessa-  
rium est supernaturale luminis gloriæ auxilium.

R. Ad 2. D. A. Deus intuitive videndus continetur intra limites objectivos  
intellectus, h. e. objecti specificativi, adæquati et terminativi C. intra limi-  
tes objecti connaturalis ac proportionati N. Duplex nempe distinguendum  
est objectum potentiæ cognoscitivæ: aliud *specificativum* et *adæquatum*, ad  
quod potentia se extendere et ferri potest, sive propriis viribus sive superiori  
saltem auxilio roborata; et intra limites hujus objecti continetur Deus intui-  
tive visus, utpote sic visibilis et cognoscibilis, sicut et per actus supernatura-  
les alios fidei, spei et charitatis attingibilis: aliud *connaturale* et *proportio-  
natum*, ad quod potentia connaturaliter, h. e. per se solam et absque auxilio  
alterius ordinis ferri potest; et intra ejusmodi objecti limites Deus intuitive  
videndus non continetur, nisi remote tantum et inchoate, non autem pro-  
xime et complete.

Ad prob. 1<sup>am</sup>. Disparitas est, quia omne *lucidum*, etiam in corpore glorioso,  
supponitur esse naturale, saltem quoad substantiam; siquidem lux corporea  
ex sua perfectione nihil supernaturalis quoad substantiam exigit, licet hic

et nunc ex ordinatione Dei extrinseca, sit connexa cum beatitudine super-  
naturali animæ: e contra non omne *verum* est naturale, sed plura sunt etiam  
quoad substantiam supernaturalia, maxime autem Deus; nisi tamen velis  
dicere, Deum excellentiori modo esse supra omnem naturam creatam et  
vocari potius auctorem omnis supernaturalitatis et naturæ, quam ens super-  
naturale.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. N. Sicut enim supernaturalia quantumvis finita non sunt  
proportionata et connaturalia potentiæ naturali, sic etiam quæ finito tantum  
modo attinguntur aut fiunt, non possunt fieri solis naturæ viribus, ut patet  
in actibus salutaribus quibuscumque seu supernaturalibus.

R. Ad 3. D. Deus intuitive videndus est finis noster ultimus supernatu-  
ralis C. naturalis N. Naturalis enim finis noster, et quem homo in puris  
naturalibus conditus habuisset, est perfecta Dei visio abstractiva. Sed de his  
vide TRACT. de gr.

## ARTICULUS III.

## AN DEUS AB INTELLECTU CREATO POSSIT COMPREHENDI?

91. Nota. Comprehensio a Patribus tum Græcis tum Latinis pro cognitione  
objecti clara, firma, simultanea, et maxime plenissima usurpatur. Ad hujus  
vero cognitionis plenitudinem duo requiruntur: 1°. ut omnia, quæ *forma-  
liter* in objecto sunt, attingantur, quod declarat S. AUG. tum in Serm. 38.  
de Verb. Dom. (al. 117.) c. 3., tum ep. 112. (al. 147.) c. 9. 2°. ut cogno-  
scantur omnia, quæ sunt in objecto *eminenter*, seu quæ in ejus virtute et  
potentia causaliter continentur, uti declarat S. THOM. p. 3. q. 10. a. 2. et  
Petav. de Deo L. 7. c. 4. ex Patribus ostendit, qui Filio Dei et Spiritui sancto  
solis comprehensionem Patris tribuunt, quia soli illi præter Dei substantiam,  
ejus etiam sinum ac profunda cognoscunt, seu quæ in consiliorum illius  
secreto, absoluta potestate ac virtute continentur. Anomæi dicere ausi sunt  
Deum a se comprehendi, ut S. Epiphan. exponit, de Aetio I. c. sic pergens:  
*Ita audacissimus iste dicebat: Tam Deum novi, quam meipsum, imo non  
tam novi meipsum, quam Deum.* Contra quos

92. Dico. Deus ab intellectu creato, lumine gloriæ quantumvis adjuto,  
comprehendi non potest.

Prob. I. ex SCRIPTURA quæ comprehensionem rejicit sive quæ simpliciter  
de Deo concipitur, sive quæ ad ejus virtutem et attributorum potentiam per-  
tinet. Primum liquet ex Job. 36. 26. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam  
nostram.* Eccli. 43. 34. *Ne laboretis: non enim comprehendetis.* Jerem. 32. 19.  
*Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu.* Alterum patet ex Job. 9. 10.  
*Qui facit magna et incomprehensibilia.* Et. c. 11. 7. *Forsitan vestigia Dei  
comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies?* Psal. 146. 5.  
*Sapientiæ ejus non est numerus.* ad Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum  
sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et inve-  
stigabiles viæ ejus!* 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus scrutatur omnia etiam pro-  
funda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis,  
qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Ejusmodi

vero testimonia cum nec a Scriptura nec a Patribus restringantur vel ad cognitionem in præsenti vita, vel ad cognitionem ex solis naturæ viribus; absolute sumenda sunt, et assertum omnino evincunt.

II. ex TRADITIONE. C. Later. IV. cap. *Firmiter* sic habet: *Simpliciter confitemur, quod unus verus est solus Deus, æternus, incomprehensibilis*; et c. *Dammamus* additur: *Nos, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro* (scil. Lombardo) *quod una summa quedam res est, incomprehensibilis*. Porro Magister sent. intelligebat Deum omnino incomprehensibilem. Basileense autem an. 1435., quo Eugen. IV. necdum transtulerat Concilium Florentiam, damnavit propositionem Augustini de Roma, qua dixerat in suo de Christo et Ecclesia Libro: *animam Christi videre Deum tam clare ac intense, quantum clare ac intense Deus videt se ipsum*; quo sensu comprehensionem expresserat. Idem jam antea etiam præter GREGORIUM utrumque, BASILIUM, CHRYSOSTOMUM et THEODORETUM, qui ANOMÆOS ex professo oppugnant, docuerunt DIONYS. L. de divin. nom. c. 13. §. 1. IREN. L. 4. c. 37. (al. 20). CLEM. ALEX. L. 3. Strom. p. 348. CYRILL. Catech. 6. n. 5. 6. EPIPHAN. hæc. 70. n. 7. AUG. serm. 38. (al. 117). supr. cit. *Conf.* Comprehendere est rem cognoscere quantum est cognoscibilis, et ejus cognoscibilitatem quoad omnia, quæ formaliter et eminenter habet, exhaustire: sed intellectus creatus etiam lumine gloriæ instructus non potest Deum cognoscere, quantum cognoscibilis est; tum quia intellectus ejusmodi semper manet finitus, cognoscibilitas autem est infinita, sicut ejus perfectiones, quas sive formaliter sive eminenter continet, sunt infinitæ; tum quia alias sancti PATRES illegitime ex comprehensione probassent divinitatem Filii et Spiritus sancti; ergo.

93. *Obj. I.* Beati a Theologis vocantur *comprehensores*; et Paulus fideles 1. ad Cor. 9. monet: *Sic currite, ut comprehendatis*; ac de se ad Philip. 3. scribit: *Sequor autem, si quomodo comprehendam*; ergo comprehensio Dei est possibilis. *Conf.* Rem cognoscere totaliter et sicut eam Deus cognoscit, est rem comprehendere: sed sic Beati vident Deum; 1. ad Cor. 13. 9. *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*; et v. 12. *Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*; ergo.

R. D. *Cons.* Comprehensio Dei sumpta pro assecutione et possessione Dei est possibilis. C. sumpta pro cognitione Dei adæquata et plenissima N. Omnia antecedentis exempla desumpta sunt a similitudine cursorum, qui comprehendunt metam et bravium; unde patet, non esse ibi sermonem de comprehensione ad animi perceptionem et cognitionem perfectissimam translata.

*Ad Conf. R. N. m. Ad prob. D.* Et hic Apostolus facit tantum oppositionem cognitionis per fidem imperfectæ et obscuræ cum cognitione per visionem beatificam perfectam et clara C. cum cognitione plenissima, et comprehensiva N. omnis nostra de Deo et divinis cognitio, sive fides sit, sive scientia ex fide orta, est *imperfecta et ex parte*, quia revera totum, quod est Dei, et omnia ejus attributa in hac vita non cognoscimus; et *obscura* etiam est, quia per speculum in ænigmate tantum habetur: in altera autem vita Beatorum cognitio erit perfecta et clara; quia tunc perfectum veniet, facie ad faciem Deus videbitur, et omnes Dei perfectiones cognoscentur. Ad

eamdem etiam intuitivam Dei visionem tantum refertur, quod additum est, quia explicat illud v. 12. initium: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; unde colligitur quidem essentiam ac perfectiones Dei et mysteria fidei in seipsis cognosci a beatis, sicut Deus nos in nobis videt, non tamen in cæteris nostram cognitionem esse Divinæ æqualem.

*Inst.* Scire, quænam sit latitudo rei, et omnes ejus dimensiones, est rem comprehendere: sed Paulus sic Deum cognoscebat, voluitque ab hominibus cognosci, ad Ephes. 3. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum: Et scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem Dei plenitudinem*; ergo.

R. D. M. Scire tantum in genere et universim, quæ sit plenitudo rei ejusque dimensiones, est rem comprehendere N. in specie aut individuo et singillatim C. Etiam D. m. Paulus voluit cognosci Deum secundum Incarnationem et præsertim quoad crucis mysterium T. secundum divinitatem *subd.* cognosci in genere et universim C. in individuo et singillatim quoad omnia in Deo cognoscibilia N. Quamvis *Apostolus* videatur hic loqui de Christo ut homine, et peculiariter de ejus cruce, hujusque fructu et conformitate in nobis tum in hac tum in futura vita; tamen, si ejus sensus etiam de divinitate intelligatur, non nisi de cognitione Dei finita et tali intelligendus est, qualem de facto per fidem sive rationis lumen de Deo infinito et omnipotente habemus, quæ certe comprehensiva dici nequit.

94. *Obj. II.* Objectum quod simplicissimum est et totum videtur, ita ut nihil ejus lateat videntem, comprehenditur; sed Deus est ens simplicissimum, et totus videtur, ita ut nihil Dei lateat Beatum; quia videtur sicut est in se; ergo. *Conf.* Beati vident omnipotentiam Dei, imo vident ipsam Dei comprehensionem seu actum, quo Deus seipsum comprehendit; ergo et vident omnia, quæ in omnipotentia et illa comprehensione continentur, ac proinde Deum comprehendunt.

R. D. M. Si videtur totum ita, ut nihil lateat præcise quoad entitatem et substantiam N. Si ita videtur, ut nihil lateat tam quoad entitatem et substantiam quam quoad modum virtutis sive in essendo sive in operando C. Quamvis Deus sit ens simplicissimum et hinc secundum partes non videatur, nec cognitioni Beatorum aliquid ejus entitatis ac substantiæ subtrahatur; tamen quia simul est virtualis multiplicatis et æquivalentiæ infinitæ, a finita cognitione mensurari nequit. Porro videre rem, uti est in se, proprie dicitur de cognitione clara et immediata rei ipsius, rigide autem de totali cognitione rei tam secundum modum quam secundum substantiam: in priori sensu affirmatur a scriptura de Beatis respectu Dei, et nihil obest nostræ sententiæ; in posteriori autem obest quidem, sed et hinc etiam a pluribus Patribus præsertim Græcis negatur.

*Ad Conf. R. quoad 1<sup>am</sup>. p. D.* Vident omnipotentiam quantum ad se, h. e. divinitatem ejusque vim effectricem creaturarum C. quantum ad alia, h. e. secundum id, quod eminenter continet, nempe perfectiones creaturarum a Deo producibilem, *subd.* vident communi quadam ac generali perceptione, quæ præcise correspondeat ideæ genericæ de omnipotentia C. cognitione

peculiari et distincta, quæ sigillatim representet omnes creaturarum perfectiones, quas in infinitum omnipotentia connotat. *N. Quoad 2<sup>m</sup>. p. D.* similiter; quia vident quidem substantiam ipsam actus, quæ est ipse Deus, non tamen omnem illius terminum.

*Inst. 1.* Saltem Deus comprehenditur ab humanitate Christi; nam: 1<sup>o</sup>. ut ait Paulus ad Coloss. 2. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*, et Joan. 3. *Non est Christo datus spiritus ad mensuram.* 2<sup>o</sup>. Juxta Isidor. in Exod. c. 42. n. 3. *Sola sibi integre nota est Trinitas et humanitati assumptæ.* 3<sup>o</sup>. D. Thomas p. 3. q. 10. a. 2. asserit, hominem assumptum cuncta cognoscere, quæ sunt in Deo; ergo.

*R. N. A. Ad prob. 1<sup>m</sup>. D.* Hæc Christo insunt et sunt data, quatenus humanitati conjuncta est divinitas, quæ habet thesauros sapientiæ increatæ ac spiritum non ad mensuram *C.* quatenus ejus humanitas in se spectatur, aut hæc habeat sapientiam creatam infinitam et spiritum non ad mensuram in se ipsa *N.* Verba ab Apostolo immediate subjecta: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ejus mentem et nostram responsionem explicant.

*Ad prob. 2<sup>m</sup>. D.* Trinitas integre nota est humanitati assumptæ ratione personæ, in qua subsistit, unde et addit: *Quæ est secunda in Trinitate persona C.* ratione sui *N.* Sensus itaque illius est: Christus ut Deus divinam comprehendit essentiam, non autem ut homo.

*Ad prob. 3<sup>m</sup>. D.* Asserit humanitatem cognoscere omnia, quæ sunt formaliter in Deo *T.* quæ sunt eminenter *subd.* quantum ad possibile, et præsentium etiam ac futurorum omnem virtutem vel modum *N.* quantum præcise ad præsentium ac futurorum substantiam et numerum, quandoquidem Christus omnium, quæ Deus decrevit, caput est *C.*

*Inst. 2.* Deus secundum totam suam visibilitatem continetur intra objectum intellectus creati; ergo per absolutam potentiam Dei potest intellectus creatus elevari ad Deum comprehendendum; præsertim cum lumen gloriæ aut concursus Dei infinitus non implicet.

*R. D. A.* Deus secundum totam suam visibilitatem continetur intra objectum intellectus creati, quatenus habet rationem veri, et ita, ut attingatur modo finito *C.* quatenus habet rationem infiniti, et ita ut attingatur modo infinito *N.* Tota infinitas Dei manet visibilis et comprehensibilis respectu Dei, qui se ipsum solus comprehendit: non autem visibilis et comprehensibilis est respectu intellectus creati, a quo tantum *finito modo* et cognitione communi ac generali, aut distributive, et divisive, non autem modo infinito et cognitione singulari ac distincta, aut collective et simul attingi potest. *Ad prob.* subjunctam *N.* quia repugnantia luminis gloriæ aut concursus simultanei in actu secundo et terminative infiniti patet præter alia ex eo, quod omnis creatura et actio creata essentialiter debeat esse limitata ac finita.

*Inst. 3.* Tota divinitas uniri potuit cum natura humana in Christo unione substantiali et physica; ergo et uniri poterit cum intellectu creato unione accidentali et intentionali; maxime cum illud plus sit quam hoc. *Conf.* Cognitio divina, qua Deus seipsum comprehendit, potuit uniri cum intellectu creato, sicut dignitas naturæ divinæ unita est cum humanitate Christi et ejus operibus: sed hoc modo intellectus creatus comprehendet Deum; ergo.

*R. 1.* Vel ipsa personalis unio divinitatis cum Christo non facta est, nisi secundum modum et capacitatem finitam humanitatis; ergo et intentionalis fieri non potest, nisi modo finito et pro capacitate intellectus finiti.

*R. 2. T. A. N. Cons.* Disparitas est, quia unio hypostatica nullam supponit actionem in humanitate, ac proin minus repugnat eam esse perfectissimam, quamvis de facto, cum non sit infinita, non sit simpliciter sed secundum quid tantum perfectissima: sed visio Dei est vera actio creaturæ; maxima autem est proportio inter facultatem finitam et actionem infinitam, qualis deberet esse visio Dei comprehensiva. Ad *rationem* additam *R. τὸ plus* significare hic excellentius, non autem difficilius; imo cum illa unio intentionalis totalis seu visio Dei comprehensiva commensurari deberet Deo, vel per identitatem esset ipse Deus, vel illa nihil posset dari excellentius.

*Ad Conf. R. N. parit.* Unio enim illa cognitionis divinæ sic possibilis asseritur, ut per eam creatura Deum cognosceret et comprehenderet: sed nec *primum* evaderet, quia cognoscere dicit actionem vitalem, quæ necessario profluere debet a proprio et interno principio; nec *secundum* quia unio illa fieret pro exigentia aut capacitate intellectus creati et finito modo, ac consequenter non daretur comprehensio. Ex priori autem habetur etiam *disparitas*; quia illa unio moralis non est quid creatum, sed ipsa dignitas increata, secundum æstimationem prudentum, naturæ hypostaticæ unitæ ejusque operibus communicata; cum unio intentionalis seu visio Dei intuitiva ab intellectu creato elicita sit quid creatum, adeoque essentialiter limitatum ac finitum.

## CAPUT II.

## DE VISIBILITATE DEI.

## ARTICULUS I.

## AN DEUS VIDERI POSSIT AB INTELLECTU CREATO SUPERNATURALITER ADJUTO?

95. *Nota.* In alterum Anomæorum errori oppositum abierunt jam olim quidam anonymi, de quibus Greg. M. L. 18. Mor. c. 28 (al. 54. n. 90). scribit: *Sciendum vero est, quod fuere nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri.* Hos seculo vii. secuti sunt *Armeni* negantes intellectum creatum, lumine superno adjutum, posse clara Dei visione frui. Secuti sunt *Palamita* docentes: *Sancti omnes tam homines quam Angeli gloriam quidem Dei temporis expertem* (scilicet increatam illam lucem) *et sempiternam gratiam ac donum recipiunt: substantiam autem Dei nemo unquam vidit homo neque angelus videre potest.* Quin et in Academia Parisiensi an. 1240. fuerant, qui inter alios errores ab Episcopo et Universitate ibidem damnatos hanc quoque propositionem defenderant: *Quod divina essentia in se nec ab homine nec*